



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quale jus habeat Ecclesia, vel ejus Rectores, in decimis seu fructibus decimarum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

illas, tum valde probabile est, quod alteri laico, cum consensu Episcopi, concedere eas possit in feudum, *gloss. cit. c. prohibemus. v. laicos.* quia subinfudatio vasallo concessa etiam in feudo Ecclesiastico locum habet, cum nullus juris textus afferri possit, in quo hæc decimarum etiam talium subinfudatio laico faciendâ prohibeatur, si fiat cum consensu Episcopi, cujus est damna Ecclesiæ præcavere. Quod si tamen laici, qui decimas Ecclesiæ detinent, quas ante Concilium Lateranense in feudum perpetuum v. g. acceperunt, restituere quidem velint eas Ecclesiæ, induci tamen non possint, ut suæ eas Ecclesiæ restituant, possunt alijs Ecclesijs, aut monasterijs illas restituere, *c. 2. §. sanè h. t. in 6.* quo tamen in casu intervenire debet consensus Episcopi (ad multas scilicet fraudes cavendas) nisi recepta consuetudo introducta sit, in aliquo loco, vi cuius laici liberè disponere possunt de decimis (justè detentis) & quovis modo de his contrahere, sicuti de suis patrimonialibus, qualis consuetudo etiam in nostra Germania vigere videtur, in plurimis decimis, quas laici possident; neque sine ingenti ea animarum damnatione, plurimorum contractuum everfione &c. damnati vel rejici potest, quia videntur tales decimæ, per legitimam Sedis Apostolicæ auctoritatem, à Titulis clericalibus penitus esse abstractæ, & concessæ laicis (in remunerationem meritorum Ecclesiæ præstitorum, vel ad eorum animos Ecclesiæ conciliandos, vel ad opem eorum promptiorem in casibus necessitatis Ecclesiæ &c.) ut tanquam bona

patrimonialia habeantur; quod ipsæ etiam de decimis dici debet, à tempore immemoriali, bonè fide possessæ, sine ullius contradicitione à laicis fuerunt, qui nunquam dimovere patientur, aut dimoveri debent, donec liquidò constet, quod tales decimæ non legitimo modo ad eos pervenerint, aut talis immemorialis possessio, præscriptionem legitimi tituli, & ejus probationem inducat: neque tamen sola accessio, aut donatio decimarum ablatæ facta, inducit titulum (nec coloratum quidem) ad præscribendum decimas. ut patet ex *c. dudum 31. h. t.* qui tamen à laico decimas accipit, credens talem concessionem esse validam, is error in parte manifesto, uti patet, error autem parte ad præscribendum non prodest, uti supra dictum.

SECTIO VIII.

De iure, quod competit Ecclesiæ, vel clericis in decimis, & qua actione illa exigi possint; item de iure dice in causa decimarum, ac pariter non solventium decimarum.

§. I.

Quale jus habeat Ecclesiæ, vel ipsi Rectores, in decimis, seu fructibus decimarum?

Circa fructus decimales, tamen decimatos, aut separatos à reliquis fructibus, habet Ecclesiæ, Rectores seu ministri illius, non quidem plenum & perfectum dominium, habent tamen jus reale in illis, & quasi dominium utile.

zã quod fructus nondum separati ab alijs maneant in dominio illius, cuius sunt prœdia, tum quod onus reale fructus habeant, ratione cuius decimari possunt ab eo, qui jus decimandi habet, ad quemcunque possessorem transiverint; postquam verò ab alijs fructibus fructus decimales separati sunt, eorum dominium directum, & plenum ad Ecclesiam spectat, quamvis actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit facta, ob speciale scilicet Ecclesiarum privilegium, vi cuius dominium rei acquirere potest Ecclesia, etiam ante traditionem factam.

§. II.

Qua actione Ecclesia, vel ejus loco parochus, aut Episcopus in iudicio exigere possit decimas sibi debitas?

SI de jure decimandi instituat lis, habet actionem confessoriam utilem Ecclesia, per quam à iudice declarari potest, quod jus decimandi sibi competat. Si verò de decimis, sive fructibus ipsis decimabilibus, nondum tamen separatis à fundo lis moveatur, tum Ecclesia ad separationem, ac solutionem agere potest, conditione ex lege, seu canone, quæ simul est actio in rem scripta, sive rei persecutoria, contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem, sive dolosum, & negligentem destructorem juxta *c. pastoralis 28. h. t.* neque tamen exigi decimæ præteritæ ab eo possunt, qui prædium nondum decimatum emit, aut de novo possidet, sed à venditore, sive priore possessore, cum onus decimarum per se non inhaereat fundo, ex

quo solvuntur decimæ, sed solum respectivè, sive in ordine ad fructus, quibus per se & immediatè onus hoc competit.

§. III.

Quis sit iudex competens in causa decimarum; & quæ pœna de jure statuta sint in eos, qui decimas non solvunt, quas debent?

SI quæstio sit de proprietate, sive jure decimarum, ad quem hoc jus pertineat; vel ex quibus fructibus solvendæ sint decimæ; vel si lis moveatur de privilegio, aut immunitate à decimis, vel denique lis moveatur de jure possidendi, ad solum Ecclesiasticum iudicem pertinet in causa tali judicare (cum laici Ecclesiastica negotia tractare non possint *c. 2. de judic.*) qui summariè causam talem cognoscat, & sententiam in scripto ferat juxta *Clement. 2. de P. S.* si verò sit meri facti quæstio, an quis perceperit, vel solverit decimas, vel de nuda detentione, sit controversia &c. causa mixti fori videtur, juxta communem præxin, & consuetudinem. Pœnæ verò, quæ de jure statutæ sunt, in non solventes decimas, quas debent, sunt variz, potissimæ sunt excommunicatio (præmissâ tamen monitione) & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ: quatum neutra tamen à parocho, qui non solutæ fuerunt decimæ, absque superioris Ecclesiastici iudicis commissione infligi poterit, cum nulla illi competat fori externi jurisdicção.

